

1612 iniiit; nunquam tanta civium concordia, nunquam tantus in publicum bonum consensus extitit.

Vix Augustinus Canalius, Illyrici atque Epiri legatus, magistratum inierat, cum rursus ab Uscochis exorta dissidia, latius sese diffundere cœpere. Cum enim aliquamdiu repressi, sensim irrumperent, Paulus Ghinius lemborum præfectus, in eorum manum quamdam delatus, expositis militibus, insequeretur, in Jaderensis ditionis nuper ab incolis extructum pagum sese recipiunt, macerisque tecti acriter se tuentur. Ghinius corona militum septos obsidet; si vi aggrediatur, veritus, ne, destructo pago, ingenti incolæ damno afficiantur; colloqui, Uscochis poscentibus, copiam facit: fide data, quinque obsides tradunt, quos statim captivos ad Canaliū mittit, ac quid sibi faciendum sit petit. Canalius, qui his de rebus Senatum certiore fecerat, iussu, captivos, qui in Ghinii potestatem, data fide, concesserant (eam quippe hosti quoque servandam semper Patres existimarunt) dimittendos curret. Interea cum Georgius Dannicichius cognovisset, Hieronymum Marcellum, Curitæ præfectum, ad Bescam insulæ illius oppidum morari; trecentis circiter Uscochis lembis impositis, Bescam improviso delatus, nihil ejusmodi opinantem, captivum una cum scriba facit: Seniam perductum, in eum nullum contumeliæ minarumque genus prætermittunt. Ea re civitate vehementer commota, statim subsidia militumque supplementum in Illyricum mitti decretum; ut auctus viribus legatus illatas injurias acrius ulciscatur: Epirotæ ducenti, Corsi trecenti, Itali septingenti conscribantur, latum; deni iis qui in Illyrico lembi erant, adjiciuntur. Francisco Priolo, Raspurgi prætori, cui antea legati munus in Istriis a Senatu injunctum fuerat, trecenti itidem e Cyrno milites adjuncti. Horatio Montio, Guidi Vbaldi mathematicarum scientiarum fama celeberrimi filio, militiæ præfectura committitur, statimque in Istriam proficisci jubetur: ut si Uscochi quidpiam iis in locis in incolas (veluti rumor erat) molirentur, averti, atque consilia ex opportunitate capi possent. Canalius legatus Moschenizzam, prædonum perfugium, edito loco in monte situm oppidum, triginta ab Albona passuum millibus, oppugnare statuit. Noctu aliquot præmissis

ad

*Hieronymus Marcellus, Curitæ præfectus, ab Uscochis captus.*

*Senatus decreta ad Uscobocorum temeritatem coercendam.*

*Franciscus Priolus, in Istriis legatus.*

*Horatius Montius, militum præfectus.*